

Et propter hoc quidam potentias animæ sensibiles distinguunt: dicunt enim, has esse duplices: quasdam quæ sunt actus organorum quæ sunt ab anima reflexæ in corpus; & hæc cum corpore corrumpuntur: quasdam vero originales harum quæ sunt in anima; quia per eas anima corpus sensibilat ad videndum, & audiendum, & ad huiusmodi; & hæc originales potentia manent in anima separata. Sed hoc non videtur convenienter dici. Anima enim per suam essentiam, non mediantibus aliquibus aliis potentiis, est origo illarum potentiarum quæ sunt actus organorum sicut & forma quælibet ex hoc ipso quod per essentiam suam materiam informat, est origo proprietarum quæ compositum naturaliter consequuntur. Si enim oporteret in anima ponere alias potentias, quibus mediantibus, potentia quæ organa perficiunt, ab essentia animæ effluerent, eadem ratione oporteret ponere alias potentias, quibus mediantibus, ab essentia animæ effluerent illæ mediæ potentia, & sic in infinitum: si enim statur alicubi, melius est ut in primo stetur.

Unde alii dicunt, quod potentia sensitivæ, & aliæ similes non manent in anima separata nisi secundum quid, scilicet ut in radice, per modum scilicet quo principiata sunt in principiis suis. In anima enim separata manet efficacia influendi iterum huiusmodi potentias, si corpori uniatur. Nec oportet hanc efficaciam esse aliquid superadditum ipsi essentia animæ, ut dictum est. Et hæc opinio videtur magis rationalis.

Ad primum ergo dicendum, quod verbum illud Augustini intelligendum est, quod anima secum trahat quasdam illarum potentiarum in actu, scilicet intelligentiam, & intellectum, quasdam vero radicaliter, ut dictum est.

Ad secundum dicendum, quod sensus quos anima secum trahit, non sunt isti exteriores sensus, sed interiores, qui scilicet ad partem intellectivam pertinent: quia intellectus interdum sensus appellatur, ut patet per Basilium super Proverbia, cap. 1. vers. 117. & per Philosophum in VI. Ethic. cap. v. Vel si intelligit de sensibus exterioribus, dicendum sicut ad primum.

Ad tertium dicendum, quod, sicut jam ex dictis patet, potentia sensitivæ non comparantur ad animam sicut naturales passionibus ad subjectum, sed sicut ad originem: unde ratio non procedit.

Ad quartum dicendum, quod potentia animæ dicuntur partes ejus potentiales. Talium autem totum ista est natura, quod tota virtus totius consistit in una partium perfecte, in aliis autem partialiter; sicut in anima virtus animæ perfecte consistit in parte intellectiva, in aliis autem partialiter. Unde cum in anima separata remaneant vires intellectivæ partis, integra remanebit, non diminuta; quamvis sensitivæ potentia actu non remaneant; sicut nec potentia Regis remanet diminuta mortuo preposito, qui ejus potentiam participabat.

Ad quintum dicendum, quod corpus cooperatur ad meritum quasi pars essentialis hominis qui meretur; sic autem non cooperantur potentia sensitivæ, cum sint de genere accidentium: & ideo non est simile.

Ad sextum dicendum, quod potentia animæ sensitivæ non dicuntur esse actus organorum quasi formæ essentielles ipsorum, nisi ratione animæ cuius sunt: sed sunt actus eorum sicut perficientes ea

(1) Al. ad animam.

ad proprias operationes, sicut calor est actus ignis, perficiens ipsum ad calefaciendum: unde sicut idem ignis numero remaneret, etiam si alius numero calor in eo esset, sicut patet de frigore aquæ, quod non redit idem numero postquam fuerit calefacta, aqua nihilominus eadem numero manente; ita & organa erunt eadem numero, quamvis potentia eadem numero non sint.

Ad septimum dicendum, quod Philosophus loquitur de huiusmodi potentiis secundum quod radicaliter in anima consistunt: quod patet ex hoc quod dicit, quod *sentium non est in patiendo* (1) *animam, sed id in quo est*, scilicet corpus: sic enim propter corpus neque debilitantur, neque corrumpuntur animæ virtutes.

#### SOLUTIO II.

Ad secundam questionem dicendum, quod quidam distinguunt duplices actus sensitivarum potentiarum: quosdam exteriores, quos per corpus exercet; & hi non remanent in anima separata: quosdam vero intrinsecos quos anima per seipsam exercet; & hi erunt in anima separata. Hæc autem positio descendere videtur ab opinione Platonis, qui ponit animam corpori conjungi sicut quamdam substantiam perfectam, in nullo a corpore dependentem, sed solum sicut motorem mobili: quod patet ex transcorporatione quam ponebat. Quia autem secundum ipsum nihil movebat nisi motum, & ne abiretur in infinitum, dicebat quod primum movens movet seipsum, posuit quod anima erat seipsam movens: & secundum hoc erat duplex motus animæ: unus quo movebatur a seipsa; alius quo movebatur corpus ab ea: & sic anima habebat actum qui est videre primo in seipsa; secundum quod movebat seipsam, & secundo in organo corporali, secundum quod movebat corpus. Hanc autem positionem Philosophus destruit in I. de Anima, text. xxxvi. usque ad text. xlv. ostendens quod anima non movet seipsam, & quod nullo modo movetur secundum istas operationes quæ sunt videre, sentire, & huiusmodi; sed quod istæ operationes sunt motus conjuncti tantum. Unde oportet dicere, quod actus sensitivarum potentiarum nullo modo manent in anima separata, nisi forte sicut in radice remora.

Ad primum ergo dicendum, quod Liber ille negatur a quibusdam esse Augustini: dicitur enim fuisse cujusdam Cisterciensis, qui eum ex dictis Augustini complavit, & quædam de suo addidit: unde quod ibi scribitur, pro auctoritate habendum non est. Si tamen auctoritas debeat sustineri, dicendum, quod non debet intelligi quod anima separata ex imaginatione, & aliis huiusmodi potentiis afficiatur, quasi ipsa affectio sit actus prædictarum potentiarum, sed quia ex his quæ anima per imaginationem, & alias huiusmodi potentias commisit in corpore, in futuro afficietur vel in bonum, vel in malum; ut sic imaginatio, & huiusmodi potentia non intelligantur elicere illam affectionem, sed elicuisse in corpore meritum affectionis illius.

Ad secundum dicendum, quod anima dicitur sentire per corpus, non quasi actus sentiendi sit anima secundum se, sed quia est totius conjuncti ratione animæ, eo modo loquendi quo dicimus, quod calor calefaciat. Quod autem subjungitur, quod quædam anima sentit sine corpore, ut timorem, & huiusmodi, intelligendum est sine exteriori corporis motu, qui accidit in actibus sensuum propriorum: non enim timor, & huiusmodi passionibus sine motu corporali con-

contingunt. Vel potest dici, quod Augustinus loquitur secundum opinionem Platoniorum, qui hoc ponebant, ut dictum est.

Ad tertium dicendum, quod Augustinus ibi inquirendo loquitur, non determinando, sicut fere per totum illum Librum. Patet enim quod non est similis ratio de anima dormientis, & de anima separata. Anima enim dormientis utitur organo imaginationis, in qua corporales similitudines imprimuntur; quod de anima separata dici non potest. Vel dicendum, quod similitudines rerum sunt in anima & quantum ad potentiam sensitivam, & imaginativam, & intellectivam, secundum majorem & minorem abstractionem a materia, & materialibus conditionibus. Tenet ergo similitudo Augustini quantum ad hoc quod sicut similitudines rerum corporaliun sunt in anima somniantis, vel excessum mentis patientis imaginaliter; ita sunt in anima separata intellectualiter: non autem quod in anima separata sint imaginaliter.

Ad quartum dicendum, quod sicut in I. Lib. dist. III. q. IV. art. 1. ad 2. dictum est, memoria dupliciter sumitur. Quandoque prout est potentia sensitivæ partis, secundum scilicet quod concernit præteritum tempus; & hoc modo actus memoriæ in anima separata non erit: unde dicit Philosophus in I. de Anima, text. lxxvi. quod hoc corrupto, scilicet corpore, anima non reminiscitur. Alio modo accipitur memoria prout est pars imaginationis ad intellectivam partem pertinens, secundum scilicet quod ab omni differentia temporis abstrahit, cum non sit tantum præteritorum, sed etiam præsentium, & futurorum, ut Augustinus dicit; & secundum hanc memoriam anima separata memorabitur.

Ad quintum dicendum, quod sicut in III. Lib. dist. xxvi. q. 1. art. 2. dictum est, amor, gaudium, & tristitia, & huiusmodi dupliciter accipiuntur. Quandoque quidem secundum quod sunt passionibus appetitivæ sensibilis; & sic non erunt in anima separata: hoc enim modo non expletur sine determinato motu cordis. Alio modo secundum quod sunt actus voluntatis, quæ est in parte intellectiva; & hoc modo erunt in anima separata, sicut & delectationem, quæ quodammodo est passio sensitivæ partis, secundum alium modum accipiendi ponit Philosophus de Deo, dicens in VII. Ethic. cap. 1. quod Deus una simplici operatione gaudet.

#### SOLUTIO III.

Ad tertiam questionem dicendum, quod supposito ex prædictis quod ignis inferni non sit metaphorice dictus, nec ignis imaginarius, sed verus ignis corporeus, oportet dicere, quod anima ab igne corporeo penas patitur, cum Dominus ignem illum diabolo, & angelis ejus paratum esse dicat Matth. xxv. qui sunt incorporei, sicut & illa. Sed quomodo pati possit, multipliciter assignatur.

Quidam enim dixerunt, quod hoc ipsum quod est ignem videre, sit animam ab igne pati: unde Gregorius in IV. Dialog. cap. xiii. dicit: *Ignem eo ipso patitur anima quo videt*. Sed istud non videtur sufficere: quia quodlibet visum ex hoc quod videtur, est perfectio videntis, unde non potest in ejus penam cadere in quantum est visus; sed quandoque est punitivum, vel contristans per accidens, in quantum scilicet apprehenditur ut nocivum: unde oportet quod præter hoc quod anima illum ignem videt, sit aliqua comparatio animæ ad idem, secundum quam ignis animæ noceat.

Unde alii dixerunt, quod quamvis ignis corporeus non possit animam exurere, tamen apprehendit ipsum ut nocivum sibi, & ad talem apprehensionem afficitur timore, & dolore, ut in eis impleatur quod dicitur, Psalm. xlii. 5. *Trepidaverunt timore, ubi non erat timor*. Unde Gregorius in IV. Dialog. ut sup. dicit, quod quia anima cremari se conspicit, crematur. Sed hoc iterum non videtur sufficere: quia secundum hoc passio animæ ab igne non esset secundum rei veritatem, sed secundum apparentiam tantum: quamvis possit esse vera passio tristitiæ, vel doloris ex aliqua falsa imaginatione, ut Augustinus dicit XII. super Genes. ad litteram, cap. xxxi. non tamen potest dici, quod secundum illam passionem vere patiatur a re, sed a similitudine rei quam concipit. Et iterum iste modus passionis magis recederet a reali passione quam ille qui ponitur per imaginarias visiones; cum ille dicatur per veras imagines rerum esse, quas anima secum defert; iste autem per falsas conceptiones quas anima errans fingit. Et iterum non est probabile quod animæ separata, vel demones, qui subtilitate ingenii pollent, putarent ignem corporeum sibi nocere posse, si ab eo nullatenus gravarentur.

Unde alii dicunt, quod oportet ponere animam etiam realiter ab igne corporeo pati: unde etiam Gregorius in IV. Dialog. ubi supra, dicit: *Colligere ex dictis evangelicis possumus quia incendium anima non solum videndo, sed etiam experiendo patitur*. Sed hoc tali modo fieri ponunt. Dicunt enim, quod ignis ille corporeus potest considerari dupliciter. Uno modo secundum quod est res quædam corporea; & hoc modo non habet quod in animam agere possit: alio modo secundum quod est instrumentum divinæ justitiæ vindicantis: hoc enim divinæ justitiæ ordo exigit ut anima quæ peccando se rebus corporalibus subdit, eis etiam in penam subdatur. Instrumentum autem non solum agit in virtute propriæ naturæ, sed etiam in virtute principalis agentis, ut supra dist. 1. q. 1. art. 4. dictum est: & ita non est inconveniens, si ignis ille, cum agat in vi spiritualis agentis, in spiritum agat hominis, vel demones, per modum etiam quod de sacramentis dictum est dist. 1. quod animam sanctificant. Sed istud etiam non videtur sufficere: quia omne instrumentum in id circa quod instrumentaliter operatur, habet propriam actionem sibi connaturalem, & non solum actionem secundum quam agit in virtute principalis agentis; immo exercendo primam actionem oportet quod efficiat hanc secundam, sicut aqua lavando corpus in baptismo sanctificat animam, & serra secando lignum perducit ad formam domus. Unde oportet dare igni aliquam actionem in anima quæ sit ei connaturalis ad hoc quod sit instrumentum divinæ justitiæ peccata vindicantis.

Et ideo dicendum, quod corpus in spiritu naturaliter agere non potest, nec ei aliquo modo obesse, vel ipsum gravare, nisi secundum quod aliquo modo corpori uniatur: sic enim invenimus quod *corpus quod corrumpitur, aggravat animam*: Sap. 1x. 15. Spiritus autem corpori unitur dupliciter. Uno modo ut forma materiæ, ut ex eis fiat unum simpliciter; & sic spiritus unitur corpori; & vivificat corpus, & a corpore aliquo modo aggravatur: sic autem spiritus hominis, vel demones igni corporeo non uniatur. Alio modo sicut movens mobili, vel sicut locatum loco eo modo quo incorporalia sunt in loco; & secundum hoc spiritus incorporei creati loco diffiniuntur, ita in uno loco existentes quod non in alio. Quamvis autem res corporea ex sua natura habeat quod spiritum incorporeum loco diffiniat, non tamen habet sua natura quod

quod spiritum incorporeum loco diffinitum detineat, ut ita alligetur illi loco quod ad alia divertere non possit, cum spiritus non ita sit in loco naturaliter quod loco subdatur. Sed hoc superadditur igni corporeo, in quantum est instrumentum divinæ justitiæ vindicantis, quod sic detinet spiritum, & ita efficitur ei poenalis retardans eum ab executione propriæ voluntatis, ne scilicet possit operari tibi vult, & secundum quod vult: & hunc modum ponit Gregorius in IV. Dialog. ubi supra. Exponens enim quomodo anima incendium experiendo pariat, sic dicit: *Dum veritas peccatorem divitem damnatum in igne perhibet, quisnam sapiens reproborum animas teneri ignibus neget?* & hoc etiam Julianus (Toletanus) dixit, ut in littera Magister dicit: *Si viventis hominis incorporeus spiritus detinetur in corpore, cur etiam non post mortem corporeo igne teneatur?* Augustinus etiam XXI. de Civit. Dei, cap. xx. dicit, quod sicut anima in hominis conditione jungitur corpori, ut dans ei vitam, quamvis illud sit spirituale, & hoc corporale, & ex illa conjunctione vehementer concipit amorem ad corpus; sic ligatur igni, ut accipiens ab eo poenam; & ex illa conjunctione concipit horrorem.

Oportet ergo omnes prædictos modos in unum colligere, ut perfecte videatur quomodo anima ab igne corporeo patiatur, ut scilicet dicamus, quod ignis secundum naturam suam habet quod spiritus incorporeus ei conjungi possit, ut loco locatum; sed in quantum est instrumentum divinæ justitiæ, habet ut ipsum quodammodo retineat alligatum; & in hoc veraciter ignis ille est spiritui noxius; & sic anima ignem ut noxium sibi videns, ab igne cruciatur: unde Gregorius in IV. Dialog. cap. xli. omnia ista per ordinem tangit, ut ex dictis ejus patet.

Ad primum ergo dicendum, quod Augustinus loquitur inquirendo: unde etiam alium modum ponit determinando in Lib. de Civit. Dei, ut ex dictis patet. Vel dicendum, quod Augustinus intelligit quod ea quibus anima proxime afficitur ad dolorem, vel tristitiam sunt spiritualia: non enim affligeretur, nisi ignem ut noxium sibi apprehenderet. Ignis ergo apprehensus est proximum affligens; sed ignis corporeus extra animam existens est affligens remotum.

Ad secundum dicendum, quod quamvis anima simpliciter sit nobilior igne, ignis tamen est secundum quid anima nobilior, in quantum scilicet est instrumentum divinæ justitiæ.

Ad tertium dicendum, quod Philosophus, & Boetius loquuntur de illa actione per quam patiens transmutatur in naturam agentis; talis autem non est actio ignis in animam: & propter hoc ratio non concludit.

Ad quartum dicendum, quod ignis in animam non agit per modum influentis, sed per modum detinentis, ut ex dictis patet: & ideo ratio non est ad propositum.

Ad quintum dicendum, quod in visione intellectuali non est tristitia ex hoc ipso quod aliquid videtur, cum illud quod videtur nullo modo intellectui possit esse contrarium, in quantum videtur. In sensu autem hoc quod videtur, ex ipsa actione qua agit in visum ut videatur, potest esse corruptivum visus per accidens, in quantum corrumpit harmoniam organi. Sed tamen visio intellectualis potest esse contristans, in quantum id quod videtur, apprehenditur ut nocivum, non quasi noceat eo ipso quod videtur, sed alio quocumque modo: & sic anima videndo ignem affligitur.

Ad sextum dicendum, quod non est simile quantum ad omnia, sed quantum ad aliquid, ut ex dictis patet.

tum ad omnia, sed quantum ad aliquid, ut ex dictis patet.

Ad septimum dicendum, quod quamvis non sit aliquis tactus corporalis inter animam & corpus, tamen est inter ea aliquis actus spiritualis; sicut etiam motor cæli cum sit spiritualis; spirituali tactu tangit cælum, ipsum movens per modum quod dicitur contristans tangere, sicut dicitur in I. de Generatione text. xlv. & hujusmodi modus sufficit ad actionem.

Ad octavum dicendum, quod spiritus damnati nunquam sunt extra infernum, nisi ex dispensatione divina, vel ad instructionem, vel ad exercitium electorum. Ubi cumque autem extra infernum sint, semper tamen vident ignem inferni ut eis in poenam præparatum: unde cum ista visio sit immediate affligens, ut dictum est, ubi cumque sunt, ab igne inferni affliguntur; sicut & captivi etiam extra carcerem existentes quodammodo à carcere affliguntur, dum vident se ad carcerem damnatos. Unde sicut gloria electorum in nullo minuitur nec quantum ad præmium essenziale, neque quantum ad accidentale, si aliquando extra cælum empyreum sint, quod quodammodo in gloriam eorum cadit; ita etiam in nullo minuitur poena damnatorum, si extra infernum ex divina dispensatione ad tempus ponantur: & hoc est quod dicit Glossa (Bedæ) super illud Jacob. 111. *Inflamat rotam navitatis &c.* „Diabolus ubicumque sit, sive sub aere, sive sub terra, secum fert tormenta suarum flammarum.“ Objectio autem procedit, ac si ignis corporeus affligeret spiritus immediate, sicut affligit corpora.

EXPOSITIO TEXTUS.

**O**mnes ad ætatem eandem resurgent &c. Hoc intelligendum est non quantum ad mensuram corporis, sed quantum ad perfectionem corporis.

*Triginta enim duorum annorum, & trium mensium erat ætas Christi.* Hoc intelligendum est secundum illam opinionem quæ ponit Christum in principio trigesimi anni nondum completi baptizatum fuisse. Sed secundum opinionem Chrysostomi, hom. x. in Matthi. qui ponit quod Christus, cum baptizatus fuit, erat triginta annorum, & incepit trigessimum primum, oportet dicere, quod Christus triginta tribus annis & tribus mensibus vixerit: tribus enim annis prædicavit & mensibus quasi tribus.

*Non est autem fas dicere, quod in resurrectione accedat corpori magnitudo.* Sed contra hoc videtur. Nani, & gigantes resurgent in quantitate quam hic habuerunt. Et dicendum, quod hoc intelligendum est de quantitate quam hic habuerunt, vel habituri essent natura non errante per superabundantiam, vel defectum.

*Sed in quælibet pulverem ac cinerem resolvatur, &c.* Sciendum, quod hæc resolutiones quæ in littera tanguntur, distribuuntur hoc modo. Primo enim accipit illa in quæ corpus humanum proximo resolvitur: unde quantum ad partes grossas, & terrestres ponit *pulverem, & cinerem*; ut in pulverem dicatur resolvi, in quantum exsiccat per congelationem humidi ex frigore agente; in cinerem vero, in quantum exsiccat per extractionem humidi à calore agente. Sed quantum ad partes subtiles, & aereas halius ponit, & *auras*; ut halius referatur ad vapores humidos, qui ab humano corpore resolvuntur, aura autem ad fumos siccos qui sunt materia venti, qui proprie aura dicitur. Deinde vero ponit illa in quæ primo resolvitur. Hæc autem vel sunt sensibilia, vel insensibilia.

lia. Si insensibilia, sic tangit elementata in hoc quod dicit: *In quacumque aliorum corporum substantiam, & elementa in hoc quod dicit: In ipsa elementa.* Si autem sensibilia, sic tangit alia bruta, & homines in hoc quod dicit: *In quocumque anima.*

*Proferi animam posse habere similitudinem corporis, pertineat ad id quod est in via transmutationis humani corporis in substantiam prædictam; quod vero dicitur carnem, pertineat ad terminum transmutationis prædictæ.*

*Illi animæ in puncto temporis (1) reddit quæ illam primitus, ut homo fieret, cresceret, viveret, animavit.* Exponendum est primitus non solum quod est prius tempore, sed quod est principalis, ut ex dictis patet: alias oporteret dicere, quod costa de qua formata est mulier, in Adam resurgeret, cujus anima primitus non accipitur pro actu exteriori sensus, sed mo fuit animata; resurgit tamen in Eva, quia in eam pro actu intellectus, secundum quod intellectus quantum individui, non solum ad perfectionem speciei, sed etiam ad perfectionem speciei, ut ex dictis patet.

*Resurgent quidem Sanctorum corpora sine ulla vitio, & distinctio in tibi de conceptione dominici corporis &c.* Ista quæ hic ponuntur, hoc modo differunt, ut quæ agebatur. *Ac non oportet duos (quod futurum erat, si vitium pertineat ad intemperantiam humorum, aut ut genui nascerentur) resurrexerit, & testemur.* Hoc non indispotionem inferiorum partium, & deformitas, quæ dicitur Augustinus: quia ex quo habebat principalia rem ad dispositionem partium exteriorum, & corruptio membrorum duplicia, sicut duo capita, & duo corda, vero ad diminutionem, ut si corpora sine aliquo membro resurgerent; unus autem ad indispotionem organorum respectu virtutis motiva; & difficultas vero

*Neque enim non sentiunt &c.* Hoc potest exponi, ut *semper non accipitur pro actu exteriori sensus, sed pro actu intellectus, secundum quod intellectus quantum individui, non solum ad perfectionem speciei, sed etiam ad perfectionem speciei, ut ex dictis patet.* *Quæri, ac disputari potest, quando incipit homo in sicut fuerat in Adam.* De hoc aliqua dicta sunt in III. Lib. *Resurgent quidem Sanctorum corpora sine ulla vitio, & distinctio in tibi de conceptione dominici corporis &c.* Ista quæ hic ponuntur, hoc modo differunt, ut quæ agebatur. *Ac non oportet duos (quod futurum erat, si vitium pertineat ad intemperantiam humorum, aut ut genui nascerentur) resurrexerit, & testemur.* Hoc non indispotionem inferiorum partium, & deformitas, quæ dicitur Augustinus: quia ex quo habebat principalia rem ad dispositionem partium exteriorum, & corruptio membrorum duplicia, sicut duo capita, & duo corda, vero ad diminutionem, ut si corpora sine aliquo membro resurgerent; unus autem ad indispotionem organorum respectu virtutis motiva; & difficultas vero

DISTINCTIO XLV.

*De suffragiis defunctorum.*

**P**reterea sciendum est, quod omnes animæ, ut ait Augustinus tract. xlix. in Joan. cum de hoc sæculo exierint, diversas habent receptiones: bonæ habent gaudium, malæ vero tormenta. Sed cum facta fuerit resurrectio, & bonorum gaudium amplius erit, & malorum tormenta graviora, quando cum corpore torquebuntur. Ex his ostenditur quod majus erit gaudium Sanctorum in resurrectione, & post, quam fuerit ante; & quod diversa receptacula habebunt animæ Sanctorum: de quibus idem Augustinus ait in Ench. cap. cix. Tempus quod inter hominis mortem & ultimam resurrectionem interpositum est, animas abditis receptaculis continet, sicut unaquæque digna est vel requie, vel ærumna, pro eo quod sortita est in carne dum viveret.

*De diversis animarum receptaculis.*

**N**eque negandum est, ut ait Augustinus ibidem cap. cx. defunctorum animas pietate suorum viventium relevari, cum pro illis sacrificium Mediatori offeratur, vel elemosinæ fiunt in Ecclesia. Sed hæc eis tantum prosunt qui cum viverent, hæc sibi ut postea possent prodesse, meruerunt. Est enim quidam vendi modus nec tam bonus, ut non requiratur ista post mortem, nec tam malus, ut ei non prosint ista post mortem. Est vero talis in bono ut ista non requiratur, & est rursus talis in malo, ut nec his valeat, (2) cum hæc vita transierit, adjuvari. Quocirca hic omne meritum comparatur, quo possit post hanc vitam quiescere, vel relevari. Nemo autem speret quod hic neglexit, cum obierit, apud Deum promereri. Non ergo ista quæ pro defunctis commendandis frequentat Ecclesia, illi apostolicæ sunt adversa sententiæ, quæ dicitur est II. Corinth. v. 10. Omnes stabimus ante tribunal Christi, ut referat unusquisque secundum ea quæ per corpus gessit, scilicet bona: quia etiam hoc meritum sibi quisque, cum in corpore viveret, comparavit, ut possent ei ista prodesse. Non enim omnibus prosunt: & quare non (3), nisi propter differentiam vitæ, quam quisque gessit in corpore? Cum ergo sacrificia sive altaris, sive quarumcumque (4) elemosinarum pro baptizatis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt, pro non valde malis sunt propitiationes. Sed pro valde malis etsi nulla sunt adjumenta mortuorum, tamen qualescumque viventium consolationes sunt. Quibus vero prosunt, vel ad hoc prosunt ut sit plena remissio, vel certe ut tollerabilior (5) sit ipsa damnatio. Et serm. xxxi. de verbis Apost. „Orationibus ergo Sanctæ Ecclesiæ, & sacrificio salutaribus, & elemosinis quæ pro eorum spiritibus offeruntur, non est dubium mortuos adjuvari, ut cum eis misericordius agatur à Domino quam eorum peccata meruerunt. Hoc enim à patribus traditum, tota observat Ecclesia, ut pro eis qui in communiione corporis, & sanguinis Domini defuncti sunt, cum ad ipsum sacrificium loco suo commemorantur, oreur, ac pro illis quoque id offerri commemoraretur. Non est

(1) Supple Deus. Al. redditur. (2) Nicolai ex Augustino: cum ex hac vita transierit. (3) Addit idem omnibus prosunt. (4) Al. additur aliarum. (5) Nicolai fiat.